

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL

# **BOLLETTINO**

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0603

Venerdì 07.08.2015

Pubblicazione: Immediata

Sommario:

- ◆ **Le Udienze**
- ◆ **Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale alla celebrazione del millenario delle fondamenta della Cattedrale di Strasburgo (15 agosto 2015)**

## ◆ **Le Udienze**

Il Santo Padre ha ricevuto questa mattina in Udienza, nell'Aula Paolo VI:

- Membri del Movimento Eucaristico Giovanile.

[01305-IT.01]

## ◆ **Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale alla celebrazione del millenario delle fondamenta della Cattedrale di Strasburgo (15 agosto 2015)**

In data 17 giugno 2015, è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Paul Poupard, Presidente emerito del Pontificio Consiglio della Cultura, ad Inviato Speciale del Santo Padre alla celebrazione del millenario delle fondamenta della Cattedrale di Strasburgo, prevista per il 15 agosto 2015.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti Ecclesiastici:

- Mons. Aloyse Kieffer, Vicario generale emerito dell'Arcidiocesi di Strasburgo;

- Mons. Paul Lentz, Decano emerito del Capitolo della Cattedrale di Strasburgo.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre Francesco all'E.mo Card. Paul Poupard:

### Lettera del Santo Padre

*Venerabili Fratри Nostro*

*PAULO S.R.E. Cardinali POUPARD*

*Praesidi olim Pontificii Consilii de Cultura*

Argentoratensis communitas ecclesialis grato animo millesimam celebrat memoriam a positis fundamentis Cathedralis sui templi, quod, Dominae Nostrae dicatum, tum ob spiritale pondus tum ob architecturae et artis praestantiam inter sacras aedes Francogalliae et totius mundi eminet. Dilecti Argentoratenses fideles, faustum iubilaeum recolentes, gratias agunt omnipotenti Deo de multiplicibus donis quae Christi discipulis illic orantibus saeculorum decursu largiri est dignatus. Multa autem pastoralia incepta haec Ecclesia localis suis proponit membris omnibusque bonae voluntatis hominibus, ut clare appareat quomodo religio christiana historiam istius regionis iugiter sit comitata.

Die ergo XV proximi mensis Augusti, in Assumptione videlicet Beatae Mariae Virginis, sollemnis in Cathedrali templo agetur celebratio in qua sacri Pastores et Christifideles laici *Te Deum* canent, Christum Regem, Dominum et Deum nostrum extollentes utque populum suum in pascua vitae ducet rogantes.

Felici hac data occasione, Venerabilis Frater Ioannes Petrus Grallet, O.F.M., Archiepiscopus Argentoratensis, humanissime Nos rogavit ut eminentem ecclesiasticum Virum destinarem qui Nostro nomine huic celebrationi praeesset, verba spiritualis confirmationis omnibus adstantibus pronuntiaret Nostramque erga eos dilectionem manifestaret. Ideo ad Te, Venerabilis Frater Noster, qui, Francogalliae inclitus Filius, Pontificii Consilii de Cultura munus Praesidis olim diligenter sapienterque exercuisti, mentem Nostram vertimus Teque hisce Litteris **MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM** nominamus ad memoratam sollemnem celebrationem quae die XV proximi mensis Augusti, occasione data millesimae memoriae a positis fundamentis ecclesiae Cathedralis Argentoratensis, in ipsa sacra aede peragetur.

Sacrarum Scripturarum pulchra verba recolens: "Ego autem in multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam; adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo" (Ps 5,8), Archiepiscopum Argentoratensem, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, christifideles laicos et publicas auctoritates Nostro salutabis nomine. Omnes adstantes sermone tuo ad diligentiorum usque Christi vocis auscultationem cohortaberis eiusque voluntatem hac nostra aetate in cotidiana vita studiose adimplendam.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur. Dum verum vicissim orationem pro Nostro gravi ministerio enixe poscimus, Benedictionem Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die II mensis Iunii, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS

[01304-LA.01] [Testo originale: Latino]

[B0603-XX.01]

---